



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

XLVI. Der Rath zu Frankfurt macht vier zum Altar der Kaufleute in der
Marienkirche gehörige Hufen abgabefrei, am 28. Juni 1340.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

XLV. Dietrich von Cykow, Vogt zu Lebus, quittirt vorläufig im Namen des Markgrafen den Rath von Frankfurt über 100 Mark, am 10. Mai 1339.

Nouerint vniuersi presentes litteras inspecturi, Quod Ego Theodericus de Cykow, Advocatus Lubucensis, Illustris domini mei Marchionis Brandenburgensis nomine, Centum Marcas Argenti brandenburgensis a Discretis viris Consulibus in frankenuorde in festo beate Walpurgis proxime preterito sustuli et percepi, De quibus ipsos apud memoratum Dominum meum quitos reddere promitto presentibus Penitus ac indempnes. In Huius promissi certitudinem Presentes scribi feci et mei Sigilli appensi robore firmiter communiri. Datum frankenuorde, Anno domini M^o CCC^o XXXIX, feria secunda proxima ante festum Penthecostes.

Nach dem Orig. des Stadtarchives Var. 61.

XLVI. Der Rath zu Frankfurt macht vier zum Altar der Kaufleute in der Marienkirche gehörige Hufen abgabefrei, am 28. Juni 1340.

In nomine domini Amen. Ad omnium presencium memoriam et noticiam futurorum Nos iohannes listeghe Senior, henze valkinhayn, Ebyl hokeman, Peze Belcow, Pezereumeker, Claus hokeman, Coppe Cruger, Wylhelm lanzeberch, herman . . ., iohannes bauarus et iohannes gefir, Consules Ciuitatis vrankenuordenfis, cupimus presentibus peruenire, quod ex communi consilio, consensu . . . decreto vnanimi Seniorum discreciorumque consularium Singulorum Ciuitatis prodicte ipsis mercatoribus in eadem Ciuitate quatuor mansos agri cum seminibus pertinentes ad altare dictorum mercatorum in Ecclesia sancte marie ab omni exactione annua in perpetuum liberos et Solutos propter deum . . . mercatorum predictorum presentibus litteris dotamus, pronunciamus et donamus, licet vnusquisque dictos mansos habens seu possidens de Curia ante valuam lubucensem sita, quam pro nunc heyno messow possidet et inhabitat, que inseparabiliter dictis mansis annexa esse debet, et de frumento, horreo et de omnibus aliis et Singulis bonis mobilibus et immobilibus exactionem annuam veluti alter nostrorum continuam annis Singulis integre Soluere et dare teneatur et debet, mansis prefatis dumtaxat cum seminibus exceptis, vt prefertur. In cuius rei perpetuum testimonium presenciam per iohannem de Eyke nostrum notarium Scribi iussimus appensioneque Sigilli Ciuitatis Vrankenuord de certa nostra sciencia Roborari. Datum Anno Domini Millesimo Tricentesimo quadragesimo, in vigilia Apostolorum Petri et Pauli.

Nach dem Orig. des Stadtarchives VIII, 3, 89.